

## E P I T O M E.

**I**nduciae cum Turcis in tres menses pactae, Laurentio Grito, altero Andreae Principis notho, praecipue annitente. Gallicus apud Turcas orator per simulationem amicitiae Venetorum res haud leviter turbavit. Chariadenus Neo-castrum, quotquot praesidio erant, ad unum caesis, aut captis, de Hispanis cepit. Idem Joannis-Matthaei Bembi virtute deteritus intentatam vim ab Ascrivio abstinuit. Quamquam secus Imperator, Galliaeque Rex Senatus suaderent, pacem cum Suleimano X Virum mandato, traditis illi Nauplio & Epidauro, Aloysius Baduarius Byzantii sancivit. In Hungariam, Joanne Rege exstincto, Suleimanus Regi puero opem laturus cum descendisset, Budam per dolum occupavit. Carolus V magnis apparatis ad Algerium oppugnandum profectus, tempestatis vi disjecta classe, Hispaniam re infecta repetuit. Galliae Rex Caesarem diversis regionibus aggressus est. Maranum, maritimum in Foro julio oppidum, quod sub Ferdinandi ditione erat, Paulus Strozzius astu furtim occupavit. De proditoribus, qui Galliae Regi secretiora Senatus, ac X. Virum decreta, quae per ipsum cum Turcis etiam fuerant communica ta, aperuerant, Gallico oratore, in cuius aedes sese receperant, tradere eos coacto, justissimum supplicium sumptum est. Turcica classis Tholoni portu a Gallis excepta, iisdem auctoribus, Niceam irrito successu oppugnavit. Caesar ex Hispania per Venetorum fines in Germaniam profectus, Menapiorum Principem feliciter domuit, & supplicem in gratiam recepit. Maranum, solitus Paullo Strozzi quinque ac triginta aureorum millibus, Veneti in fidem recepere. Tum denique cum maxime dubium arderet inter Caesarem, & Gallos bellum, pax inter ipsos conciliata est. Turcae a Gallis dimisi, totam maritimoram, qua transvecti, foedissime deformarunt. Annas inducias Turcae Caesari concessere, quibus & Veneto caveri Rustenus voluit. Caesar turcici belli metu liberatus, de componendis religionis dissidiis sedulo agitare coepit. Petrum Landum, Reipublicae Principem, vita defunctum Franciscus Donatus exceptit. Paullus Pontifex Farnesiis suis beneficiario jure Parmam & Placentiam tradidit. Caesar suspectum contra Germaniae Principes bellum quatuor mensium spatio mira felicitate confecit. Ad Cenenses, grave Marini Cardinalis Grimani imperium querentes, praetor Venetiis missus est. Grimano exstincto, priora Episcoporum jura Michaeli Turriano, ut Pontifici gratificaretur, iterum Senatus concessit. Eduardus VI. in Anglia, Henricus II. in Gallia exstinctis parentibus successere. Saxonum Dux a Caesare profligatus: Hessiae Lantgravius in gratiam ab eodem receptus. Novae in Italia turbae simul ob praesidum Senis a Carolo impositum, simul ob Petri-Aloysii Farnesi caudem concitatae. Quinquennales inducias inter Carolum Imperatorem, Ferdinandum ejus fratrem, & Suleimanum Turcarum Regem pactae sunt. Sabbas pirata a Laurentio Amulio captus & imperfectus. Ejus caedes pacem inter Venetos ac Turcas pene interturbavit. Caesar multa iis, qui a Catholica Ecclesia desiverant, dum controversiae omnes componerentur, interim concessit. Decreto Interim nomen est factum.